



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Lypicinvs & Romanvs CC. 28. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

acceptaque iter silentio transigitur. Inde regressos excipit eadem cella, alterosq; XII. annos ANDRONICVS cum ATHANASIA habitat nescius novi conjugii. Virum nempe crediderat. Et erat: mulierem tamen mors & schediasma ponē caput repertum prodidit. Igitur corpus palmis coronatum, & elatum triumphi speciem non funeris præbuit, diuque nihil aliud in ore omnium quàm *Fœmina monachus, & monachus coniux* fuit. *Ex Surio.*

SS. LVPICINVS & ROMANVS CC.

28. Februarii.

EAdem studia, & vitæ rationem eandem audies in LVPICINO, & ROMANO, ut meritò fratres credamus germanos fuisse. Ambo siquidem virginitatem à teneris coluere, ambo hostes, qui ad nuptias impellebant, heu! nimium fortes, parentes habuere. Pugnavit tamen pro filiis fortior in hos mors, & illi pudorem in eremum extulerunt. Hic etiam cum solos se crederent, soli non erant. Aderat hostis orcus, & crebrâ lapidatione tyrones animos terrebat, jamque in eam desperationem adduxerat timidos, ut in patriam repedarent; cum ex itinere à matronâ piâ de turpi fugâ notati erubuerunt viris animos à fœminâ addi, &, ut admissum dedecus eluerent, subla-

sublata manibus Crucis signa in hostē iterum verterunt, totaque victores eremo fugarunt. Tum denique cum ad signa mortalium plurimi, qui contra mundum nomen darent, concurrerent, terna castra, terna coenobia sunt metati, more veteri omnem inde mulierem proscribentes. Stipendium insuper caelum dedit, cum LVPICINO defossas opes ostendit. Luxum tamen hic, & delicias ciborum severā disciplinā damnavit, eamque ob causam signa duodeni turpiter deseruerunt. Sed his quoque reditum ad stationem suam ROMANVS precibus suis impetravit. Idem cum apud leprosos divertisset, sordes pedum aquā, tactu verò suo omnem in corpore lepram abstergens, divitem hospes symbolam sanitatem reliquit.
Ex S. Greg. Turon.

M A R.